



2129 + 10

9.

Q. D. B. V.

CONSIDERATIO THEOLOGICA
CONTRITIO-
NIS SALUTARIS

Quam

SUB PRÆSIDIO

PAULI ANTONII,

S. S. Theol. D. P. P. Ord. Consist. Ducat.

Magdeburg. Consilarii,

PRÆCEPTORIS SUI OMNI OBSERVANTIÆ CULTU
PROSEQVENDI,

Publicæ & placidæ disquisitioni

IN ACADEMIA FRIDERICIANA

diem XXV. August. An. MDCXCIX.

submitit A. & R.

CHRISTIANUS JEREMIAS Nischemann/

Eisdorff. Mageburg. iam Past. Woermlic.

Typis CHRISTOPH. ANDRÆ ZEITLERI, Acad. Typogr.
Edit. II. A. MDCCVIII. mensē Nou.



CONSIDERATIO THEOLOGICA
CONTRITIO
NIS SALUTARIS

Auth. FACIL ANTONII
S. S. Theol. D. P. O. Conf. Præf.

CHRISTIANUS WILHELMUS WANDER

IN THEOPHILUSI





Vamvis doctrina hæc de contritione, tanquam de una ex pœnitentiæ partibus, nemini fere ignota sit, nec ulterior ejus explanatio, indigere me, hac in re minus exercitato, videri posset: pacem tamen ejus, qui hæc, quæ scripsi, leget, me facile consecuturum spero; si perperit hujus rei ignorantiam potius, quæ apud plurimos est, quam notitiam, affirmari debere notissimam. Me non loqui de termino contritionis, vel de externa quadam & literali hujus doctrinæ notitia, ac si hanc non multi habere possent; unusquisque sentiet; sed, quod in eo, quod ad praxin pertinet, ignorantiam observari posse, putem certissime. Quotnam enim dantur, qui veros conscientia terrores, de quibus tam sæpe loquitur August. Confessionis Apologia, ipsi vere experti sint? ubi sunt, qui agnoscat, non tam ex pœnæ metu, quam fastidio ipsius peccati & læsione Dei, tanquam benignissimi ac clementissimi patris, esse dolendum? Quamobrem nimis hæc de re nunquam dici posse putaverim, neque in malam accipiendum esse parrem, si etiam exigui quiddam, quod ad hujus rei veram cognitionem conducere, potest, bona ex intentione sinceroque animo proferatur. Hoc cum viderem, ideo mihi quoque de hac prima pœnitentiæ parte.

te, absque qua nec altera potest esse vera hac vice differere libuit assistente Deo benignissimo. Nemo igitur putet velim, me alia ex intentione id fecisse, quam ut & metipsum excitem & alios forte commilitones ad perpendendam & tuendam hujus doctrinae dignitatem; simulque hac occasione, a quibusdam mihi oblata, aliquid conferam ad alterius aedificationem. Videmus enim magnam imprimis cultorum theologiae multitudinem, quae non satis agnoscit, quam necessaria sit contritionis vere salutaris experientia, & qualem hac in toto theologiae cursu fideique analogia, praebet usum. Hunc ego quidem habui scopum; alium si quis habet in conscribendis ejusmodi dissertatiunculis, qualis mea est, illi exinde non multum amoris apud pios, nec gratiae apud Deum promitti posse censeo. Quia vero ardua haec res est, & me talem existimare nequeo, qui hanc doctrinam exacte & satis distincte proponere vel vindicare propria non tam afferre libuit, quam potius ea, quae jam a pluribus sparsim sunt dicta, & vera cum experientia conveniunt, in una serie atque ordine, quantum fieri potuit, proponere. Ne autem quoque molestus sim multorum auctorum & variarum inutilium opinionum recitatione, eos auctores modo allegasse sufficiat, qui me ea, quae habeo, docuerunt. Deus ter optimus maximus largiatur vires eas, quas in meis efflagitavi precibus, & semper efflagito, ut usus apud singulos, qui hoc legunt, sit vberimus!

§. I.

Rem ipsam antequam aggredior de titulo & ordine praesentis dissertationis aliquid adhuc monendum censeo. Titulus enim videtur melius inscribi potuisse: *De vera contritione* seu in genere: *De contritione*; quia instituti ratio requiret, ut plura simul de contritione in genere

* (r) *

nere proponantur. Verum, elegi hunc titulum, quia animus mihi non fuit, Lectoris in ambiguo relinquere mentem termino quodam, rem non satis, ut puto, exprimentem; quod scilicet fieri potuisset, si dixissem: De vera contritione. Contritio enim ea, quæ ex mero timore legali & metu tantum poenæ oritur, pro vera & integra contritione habetur sapissime: quia homo dicit, se de peccatis dolere & nullo modo de ipsius doloris veritate amplius vult dubitari: (quod ipsi, aliquo eoque latiori respectu, salvis tamen nostris fundamentis, concedendum) cum tamen nihil fiat vere propter Deum, sed ab aliis causis; nihil adsit salutare, sed homo ex mere servili metu vel desperationi vel hypocrisis sese tradat nocentissimæ. Neque in genere tantum aliquid de contritione qualicumque dicere constitui; quia hæc contritionis qualitas, quatenus salutaris & completa dici potest, etiam atque etiam apud plurimos suo ordine urgenda est. Ordinem tractandi quod attinet, qui hoc vel alio modo observandus a quibusdam scribitur, in eo observando me nimis anxium non fuisse fateor: quippe cum mihi videatur, quod coacta methodi, de constituendo ordine in disputationibus, observatio, rei sæpe obscuritatem magis, quam lucem, afferat. Hinc etiam in explicatione *etymologia, homonymia* &c. vocis contritionis, diu hærrere nolui, non ignorans, apud omnes fere, qui hac de re aliquid scripserunt, jam existare quam plurima. Ordinem vero negligere omnem, nefas quoque fuisset; ideo observavi eum, secundum quem, neminem non spero rem apprehensurum.

§. II.

Primum itaque rem hanc tractaturi, videamus necesse est: *an sit Contritio salutaris?* num ejusmodi probari possit ex Scripturis S., aliisque, si necesse est, scriptis, fide dignissimis?

* (6) *

simis? De hoc igitur extat locus 2, Cor: VII, 10. n. qui imprimis id confirmat. Quid enim aliud est illa tristitia, quæ secundum Deum dicitur, quam ea contritio, quæ a theologis vocatur *Salutaris*, & cui contritio exitialis in eodem illo loco opponitur? Vid. Gundilius hac de re, qui distinctionem inter *Contritionem salutare[m] & exitialem* ex B. Gerardo probe observavit, in Contin: Isagog: Loc: Theol; Gerh: Disp: IV. de Euang: c. I. p. 239. Disp. I. de Pœnit. c. I. p. 253. Disp. II. de Pœnit: c. III. p. 286. 287. Si vocem *pœnitentia ad salutem*, nihil quoque ibi aliud est, quam salutaris contritio. Hanc contritionem ab ipso etiam Christo imprimis probari Matth. V. 4. sine dubio nemo negabit; ii scilicet ab eo ibi prædicantur beati, qui lugent, illudque, primum quasi requisitum est, quod posuit post agnitionem paupertatis Spirituales intimam. Dolor enim ibi salutaris est ubi homo agnoscit illam spirituales ignorantiam quod Deum scilicet tanquam benignissimum & clementissimum patrem nunquam recte agnoverit, sentitque perpetuam voluntatis suæ & omnium affectuum peruersitatem &c; quod spirituales paupertas est. Hac de re pulchre Rev. D. Breithaupt. in Instit. Cred. pag: 311. Conferri quoque adhuc possunt loco Scripturæ Esaia LXI, 1. 2. 3. LXVI, 2. LVII, 15. Pfalm. LI, 19. Marc. I, 15. Actor: XX, 21. V, 31. 30. Luc. XXIV, 46. 47. 2. Cor. V, 20. III, 16. nec non Act. XI, 18. τὴν μετάνοιαν ἔδωκεν ἐνς ἑωὴν. quæ certe omnia id testantur, & animum de certitudine hujus rei, dulcissima atque divina quadam convincunt persuasionem.

§. III.

Hanc rem videntur quoque inuere Libri nostri Symbolici, quando de Fide dicunt, quæ discrimen inter hanc & exitialem illam contritionem soleat constituere. *Hæc fides,*

des, dicit Apologia, ostendit discrimen inter contritionem Judæ & Petri, Saulis & Davidis. Ideo Judæ aut Saulis contritio non prodest -- Id eo prodest Davidis aut Petri contritio. p. 166. conf. p. 162. Textus germanicus addit: *Denn was sind doch solche Herzen und Gewissen anders denn die Edle selbst/ so nichts anders in solchen Herzen ist/ denn eitel Zweifel/ eitel verzagen/ eitel murren/ verdriß und Haß wider Gott? Und in dem Haß/ ruffen sie doch gleichwohl Gott heuchlerisch an/ wie der Gottlose König Saul thät.* Item. Artic. Smalcaldici, qui de Pontificiorum doctrina hac in re queruntur maxime, quod illi scilicet aliqualem tantum attritionem ad poenitentiam vulgo statuant sufficientem. (vid. Concil. Tridentin. Sess. XIV. de Poenit. cap. IV. pag. 113. Edit. Halens.) Sed qualis est illa contritio, quæ tantum ex turpitudinis peccati consideratione & poenarum metu concipitur? Non certe ea prorsus est, quæ, ut apud salutariter contritum adsit, necessario requiritur. Mens tamen hic non est, acsi Deus ad certum modum & gradus timoris atque doloris hoc in statu respiciat, vel contritionem judices secundum opiniones, demonstrationes, determinationes & dimensiones Scholasticas; sed innuitur potius, Deum respicere principium movens, cujus pravalentis respectu, homo contritionem in se oriundam sentire ac admittere soleat. Videmus enim hoc in Apologia p. 165. cujus verba sunt: *De contritione præcidimus illas otiosas & infinitas disputationes, quando ex dilectione, quando ex timore pænæ doleamus; sed dicimus contritionem esse veros conscientie terrores &c.* Cum his verbis consentit B. Lutherus in Epistola quadam ad Melancthonem, hoc modo. *Scribis te flagellari a quodam, quod poenitentiam, a timore domini incipi docueris -- timor pænæ & timor Dei quam differant facilius dicitur syllabis & literis, quam re & effectu cognoscitur.*

dur. Timeant pœnam & infernum omnes impii; Deus aderit
 suis, ut simul timeant Deum cum pœna. &c. Sed hic præ ceteris
 adponi possunt, quæ B. Lutherus, sub optimum illud
 reformationis initium, contra adversarios illius temporis
 posuit elegantissime. Tom. I. Jen. Latin. de Pœnit. & Con-
 fess. fol. 13. Impossibile est, dicit, ut odias aliquid, (sic loquitur
 pro temporis illius ratione) vero odio & perfecto, cujus con-
 trarium non prius dilixeris. Amor semper est prior odio, & o-
 dium natura & sponte fluit ex amore, & sic nascitur zelus,
 qui est iratus amor, i. e. odium mali propter bonum; Sic odium
 peccati & detestatio vitæ præterita, nulla cura, nullo labore qua-
 sita, veniunt sua sponte, alioqui perverissimo ordine & nun-
 quam profuturo studio queritur amor justitiæ per odium peccati,
 imo machina desperationis & deiciendi animi, est talis per-
 veritas, POENITENTIE ENIM DEBET ESSE DULCIS & ex
 dulcedine in iram descendere ad odium peccati; amor enim est
 vinculum perpetuum, quia voluntarium; odium temporale, quia
 violentum. Igitur persuade homini, primum, ut diligat justitiam,
 ET SINE MAGISTERIO TUO CONTERETUR DE PECCATO,
 diligat Christum, & statim sui prodigus odio habebit se ipsum sic Ps.
 45. dilexisti justitiam, & sic odisti iniquitatem, prius inquit, di-
 lexisti iustitiam, & sic odisti iniquitatem &c. Item Anno 15-
 18. ad Staupitium hæc inter alia mittit: Te velut e cælo so-
 nantem excepimus, quod pœnitentia vera non est, nisi QUÆ
 AB AMORE JUSTITIÆ ET DEI INCIPIT, Et hoc esse potius
 principium pœnitentiæ quod illis (scilicet adversariis) suis & con-
 summatio censetur. fol. 73. ibid. Eodem illo anno Ad Leonem
 X. scripsit hoc modo. Cum vera contritio sit incipienda a
 benignitate & beneficiis Dei præsertim a vulneribus Christi,
 ut homo ad sui ingratitude primo veniat ex intuitu divine
 bonitatis, & ex illa in odium sui, ac amorem benignitatis Dei.
 Tum fluent lacrime, & odiet seipsum ex corde, citra tamen
 desperationem. Tum odiet peccatum, non propter pœnam, sed
 pro-

propter intuitum bonitatis Dei, qua inspecta conservatur, ne desperet, & sese ardentissime odias, etiam cum gaudio. Sic, dum fuerit unus peccati vera contritio omnium simul erit hic Rom. II. Ignoras quod benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? O quam multi id ignorant, S. Paule, etiam aliorum magistris &c: fol: 94. ibid. Quæ loca quatenus omnino huc spectant, pio Lectori nostri seculi relinquamus perpendenda. Addi quoque adhuc potest ex recentioribus Liber, qui amor poenitens inscribitur, auctore Johanne Episcopo Castoriensi, qui hanc in rem scripsit quam plurima. Porro non nemo est ex ipsa R. E. cujus hanc in rem verba apponere lubuit: Man muß sich Gott ohne Maaß-Gebung ganz unterwerffen / damit er uns seine Gnade / wie und auf welderley Weise es ihm beliebt / mittheile. Conf. Observationes Præsidis de Conversione Samaritan. §. 51. & epistolam ad diss. de odio poenitentiæ, in fine item Tr. de Natura & Gratia p. 105. Falluntur igitur inter Pontificios ceteri, qui talem contritionis rationem, docent non omnimodo necessariam; sed leviori quadam ATTRITIONE, ad scopum tendi posse iudicant. Conueniunt etiam cum iis illi Pseudo-Euangelici, qui praxi id negant, quod verbis profitentur.

§. IV.

Possent quoque hæc res ex synonymicis locutionibus, quæ, ut iudico, huc pertinent, & in S. Scriptura extant, ulterius illustrari, nisi animus esset breuitati studere. Quid indicat aliud mortificatio vere talis, quam hanc contritionem? (Apol. A. C. p. 265. 268) quid circumcisio spiritualis denotat? quid exuitio veteris hominis? expoliatio corporis peccatorum? abnegatio sui ipsius? hæc omnes expressiones eo tandem in Scriptura S. tendunt, vt hæc contritionis ratio recte inculceretur & obseruetur. Nisi enim contritio sit salutaris illa, non dici posset vere mortificatio, circumcisio

B

spiri-

spiritualis &c. quia absente illa ratione peccatores *vel red-
duntur deteriores in contritione ex sola lege*, Rom. VII, 13. Ar-
tic. Smalc. pag. 319. *vel in ista facilitia & solertia contritione,*
quæ est cogitatio seu imaginatio ex propriis viribus absq; fide seu
agnitione Christi, miser peccator forte recordans suæ flammæ &
cupiditatis vindicta, vel ridere, vel lacrymare potius potest, quam
aliud cogitare-- & sic contritio mera hypocrisis est, & peccati
flammas NON MORTIFICAT pag 323. Art. Smalc. Cum vero
etiam ex Scriptura S. in Lib. Symb. quædam adducantur,
placet ea simul allegare. pag. 168. *Paulus fere ubique, cum de-*
scribit conversionem seu renovationem, facit has duas partes,
mortificationem & vivificationem ut Col. II, 11. In quo circumcisi
estis, circumcissione non manu facta, videlicet expoliatione cor-
poris peccatorum &c. Item Pag. 169. Ita hic expoliationem cor-
poris peccatorum vocat, quam nos dicimus VSITATE CONTRI-
TIONEM, quia in illis doloribus conscientia naturalis EXPUR-
GATUR. conf. p. 194. 260 327. & Seb. Schmid. ad Coloss. p.
162. ad Rom. p. 523. Vocatur etiam alias hæc contritio
Crux Christi, in cujus communionem unusquisq; salutariter
pœnitens veniat, necesse est. Gal. V. 24. extat id expresse: *qui*
Christi sunt crucifixerunt (in contritione) carnem cum affecti-
bus & concupiscentiis. Videatur B. Arndtius in hunc citatum
locum, qui ita scribit: *Irren demnach die jenigen / die al-*
leine weltliche Trübsal und Wiedermärtigkeit für Creuz
achten / und wissen nicht / daß die innerliche Buße (intelig-
ligit contritionem, quam hic consideramus) und Tödtung
des Fleisches das rechte Creuz sey / das wir täglich Chri-
sto sollen nachtragen. Item in sequentibus: Dieß Joch
Christi ist unser Creuz.-- denn das Absterben der Welt ist
die Tödtung des Fleisches und alles dessen / da zu das Fleisch
Lust hatt / stetige unwendige verborgene Reue und
Leid Lib. I. c. IV. de V. Christ. conf. cap. XI. XXXII, Sic quo-
que

* (II) *

que Rev. D. Breithaupt in Inst. Cred. pag. 281. Hic enim, ut ad proprium suum officium pertingere Evangelium possit, Spiritus S. cum timore ac tremore insinuat communionem crucis Christi, & quidem ex morte Crucifixi, vires, crucifigendi carnem cum concupiscentiis & moriendi peccato Gal. V, 24. Rom. VI, totum. Vide, si placet *Sinceri Evangelici Sendschreiben an einem Sächsischen Theologum* §. 18. 25. 10.

§. V.

Magis adhuc mens convincetur, si considerauerimus, *quid sit Contritio salutaris?* Dicimus igitur, quod Contritio salutaris sit tristitia, quæ a Deo per verbum, tum legis, tum Evangelii late sic dicti, in timore ac pudore acerbissimo ad præbandam de veritate fidei & poenitentia, gratiaque ulterius infecutura certitudinem atque excitandam in vita peragenda sollicitudinem, apud hominem efficitur. Breuiter dicere maluissem cum Rev. D. Breithauptio (thes: doctrin. p. 143.) ex 2. Cor. VII, 10. quod hæc contritio sit tristitia secundum Deum, ex agnitione peccatorum. Quibus in verbis ea omnia continentur, quæ multis in definitione posui; id quod sequentia aliquo modo simul probabunt. Alias præ ceteris placuit Kirchneri, quam hac de re dedit, apponere definitionem. Verba ipsius in Enchiridio Germanico sunt: Die Reue ist ein herzhliches Erkennntiß der Sünde und eine ernstliche Furcht oder Erschrecken vor der Sünde und Gottes Zorn / dadurch daß Herz sehnlich bedauert / daßes Gott erzürnet und ein ernstes Abscheuen vor der Sünde gewinnt / derselben nicht mehr zu dienen. Loc. XXXI.

§. VI.

Definitionem itaque hanc nostram, quam de contritione salutaris dedimus, accuratius perlustrantes eo nitamur, ut ex ea perlustratione simul cognoscatur: *quomodo hæc salutaris*

B 2

* (12) *

lutaris fiat contritio hanc enim circumstantiam a peccatore observari necesse est; quia, hæc quamdiu ignoratur, tamdiu nulla spes veræ pœnitentiæ adesse potest: deficiente enim hoc modo parte quadam essentiali, deficit & totum. Et quamvis, omnis intime operandi modus, iuxta indolem ac feriem occultus esse posset, nec rationi peruius aut cognoscendus, non tamen omnia nobis ignota esse, hac in re, Deus voluit. Nam in scriptura S. nobis reuelauit remedia, per quæ datur facultas, tam contritionem, quam veram pœnitentiam consequendi. Patefecit ille Deus benignissime in sacris litteris: quid sit hæc contritio: ostendit eius causam *efficientem* & *principalem* & *instrumentalem* (liceat nunc his terminis uti) *nec omisit causam formalem, finalem & effectus seu consequentia* demonstrare; notum quoque fecit *subiectum*, in quo hæc debeat inueniri contritio, vt secundum hæc omnia se explorare possit homo, num vnquam etiam expertus sit talem apud se contritionem. Hæc cum in Scriptura nobis demonstrantur; ideo ordine quoque ea consideremus.

§. VII.

Genus in definitione contritionis salutaris, optime dici potest *Tristitia*: ita enim nobis proponitur 2. Cor. VII, 10. quod & alia Scripturæ loca testantur. Quoniam vero aliquod dubium hic oriri videtur, pauca circa hoc moneri inutile non futurum censeo. Inconuenienter enim, putare aliquis posset, contritionem per tristitiam definiri, cum hæc potius, imprimis in hoc dicto 2 Cor. VII, 10. vel tanquam causa illius efficiens consideranda sit, eaque ratione causa, non effectus, nec effectus causa dici possit: vel vt causa, totius pœnitentiæ, atque sic diuellantur magis hæc duo, quam conjungantur: verba, enim ipsius dicti sunt: *ἡ κατά θεόν λύπη, μετάνοια εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον πατερῶς ζηταί.*

No.

Notissimum autem est, proptereaue a nemine fere omis-
sum, qui hac de re aliquid scripsit vnquam, vocem *pœni-*
tentia, duplici ratione, tum ἁπλῶς, vt dicitur, tum μερικῶς,
considerari, i. e. vel vt pars totius pœnitentiæ vel vt totum;
id, si hoc loco etiam obseruamus, facile patebit, qua rati-
one hæc diuersa videri, & quâ, contra non diuersa esse,
possint. Quomodo itaq; vox *pœnitentia* hoc loco accipiatur,
omnes theologorum hæctenus non fuerunt consentientes:
alii enim, eam pro parte, voluerunt accipi, vti & Lutherus
eam accepisse videtur, dum germanice vertit; *eine Reue*:
alii vero pro tota pœnitentia. Ego, pro iudicii mei imbe-
cillitate hic vtroque modo eam accipi posse, iudico, si modo
recte perpendatur, qualem quoque respectum, verbum κατὰ
περὶ ἁλῆθαι, involvere soleat.

§. VIII.

Verum est, quod, si τὸ κατὰ περὶ ἁλῆθαι ibi denotaret
causam efficientem, per tristitiam, tanquam causam, con-
tritio, vti effectus, non recte definiri possit; sed hac rati-
one ea potius sint distinctissima, & vox *pœnitentia* pro to-
ta respicientia, non vero pro parte ipsius accipienda, tri-
stitiaque, ab ea distinguenda. Verum, quia τὸ κατὰ περὶ ἁλῆθαι
id hoc loco non inuoluit, ideo videntur tristitia & contri-
tio non tam diuelli, quam combinari & coniungi arctissime.
Respectum enim huius verbi si obseruauerimus, eum &
effectiue & *remotiuè* considerari apparebit, ita, vt fere nun-
quam, quandocunque hoc vsurpatur verbum, absit ille re-
spectus remotiouis; quid? quod apud quosdam scriptores al-
ios significet *interficere*, & sic magis remotiuè consideretur.
Hinc etiam hic illud magis *remotiuè*, quam *effectiue* accipi-
endum arbitror. Ratio hæc mihi esse videtur, quia tristitia,
quatenus adhuc tristitia est & dicitur, respectu ad pœniten-
tiam, non potest *magis effectiue* operari, sed *remotiuè*: remo-
uere

uere scilicet debet impedimenta imaginis diuinæ instaurandæ, veterem hominem cum cupiditatibus prauis deponendo. Eph. IV. 22. membra terrestria & praxes corporis mortificando. Col. III. 5. Rom. VIII. 13. Gal. V. 24. Rom. VI. 9. Et hoc ne vere quidem operari posset, nisi salutaris quædam ratio accederet; quatenus vero hæc accedit, vere quidem fit mortificatio in pœnitentiæ actu, vt sic etiam aliquo modo *effectiue* considerari possit; non tamen illi exinde effectus dicuntur contritio. Sed quia potius contritio in pœnitentia idem, quod hæc tristitia, facit, & nulla datur inter tristitiæ & contritionis operationem diuersitas, non video, quomodo aliquis affirmare possit, contritionem inconuenienter per tristitiam definiri. His considerationis sine dubio patet, quis sit verus vocis *κατεργάζεσθαι*, significatus, vt hoc loco scilicet, *κατεργάζεσθαι, μετανοίαν*, nihil aliud significare possit, quam remouendo facere, vt pœnitentia seu contritio vere apparere possit, vti pœnitentia seu contritio; vel, facere, vt homo agnoscat se vere contritum esse & salutaris contritionis participem. Non ita quidem, ac si tristitia nudum esset contritionis signum, sed, quatenus paulo apertius testatur, quod ipsa adsit contritio: & hoc modo acciperetur vox *pœnitentiæ μετάνοιας*. Si vero vocem *pœnitentiæ ὀλικῶς* accipimus, respectus magis ad alteram pœnitentiæ partem fiat necesse est, secundum quam pœnitentia dicitur salutaris *in se*; cum contra *pœnitentia* pro contritione accepta tantummodo *per accidens* salutaris dicatur. Vt itaque sensus sit: tristitia secundum Deum seu contritio (*per accidens*) salutaris facit seu occasionem dat, vt pœnitentia (*in se*) salutaris & completa, consistens in contritione & fide, fieri possit. Et sic tristitia secundum Deum simul pertinet ad primam partem pœnitentiæ, contritionem scilicet salutarem, quæ necessario ad completam & *in se* salutarem requiritur pœnitentiam.

nitentiam: vbi enim non contritio salutaris, ibi non poenitentia completa seu in se salutaris. Si permisisset instituti ratio vocis huius emphasin quoque vrgere, quæ esse potest secundum præscriptum modum & formam operari nacharbeiten/nachwürden/ maior adhuc lux sine dubio rei affundi potuisset. Legatur omnino, de tristitia secundum Deum, H. Hoëpferus de iustific. p. 1028. sq. 738. sq. p. 405. seq. Ven. Francius noster Verantwortung von der Diebst. p. 70. 71. 63. q. 80.

§. IX.

Quod vero hanc meam sententiam: contritionem definiiri posse per tristitiam, sacra scriptura, vt dixi, alibi quoque comprobet, multis ex locis demonstrari posset, nisi putarem, hoc neminem, qui litteras sacras tractat, fugere posse: pauca tamen vt adducerem testimonia, vbi eiusmodi tristitia, dolor, mæror, angor &c. respectu ad poenitentiam idem est ac contritio, intermittere me nullo modo potuisse vnusquisque fatebitur. Hinc conferre licet locum ex Ecclesiastice cap. VII, 3. qui ei 2. Cor. VII, 10. videtur conuenientissimus. Verba sunt secundum versionem Lutheri; durchtrauren wird das Herz gebessert. Quo dicto idem certe demonstratur. Si vero objiceret, Ecclesiasten de tristitia faciei loqui uti scilicet extat: פניו ברע, respondere possem; non excludi tristitiam cordis internam. conf. Gen. XL, 7. Neh. II. 1. 2. Singulare quoque præbent hac de re testimonium Psalm. VI. imprimis v. 8. Psal. XXXVIII. 7. 8. 9. &c. XLII, 10. XLIII. 2. it. Jac. IV. 9. quibus in locis de contritione hac agi vniciue erit notissimum: cum tamen in fonte sæpius dicatur tristitia, angor &c. & ipse Lutherus verat; Traurigheit/trauren/traurig gehen &c.

§. X.

Differentiam in nostra definitione quod attinet, eam imprimis a causis desumptam esse, vt & thematis ratio postulasse

laffe videtur, patet sine dubio omnibus. Propterea quoque singulas, quæ in ea positæ sunt, consideremus. Initium faciamus a *Causa efficiente*, statuentes, quod solus Deus, imprimis vero Spiritus S. efficiat salutarem hanc contritionem. Probari hoc potest, tum ex dictis, in quibus totum conversionis opus Deo tribuitur Deut. XXX, 6. Jer. XXXI. 18. Thren. V. 21. 2 Tim. II. 25. Act. XI. 18. V, 31. tum ex iis, in quibus in specie contritionis operatio adscribitur Deo. Esaiæ XXX. VIII. 13. Psal. L. 21. XC. 9. Præ ceteris probat hoc locus iam saepe adductus 2 Corinth. VII, 10. ubi contritio hæc dicitur tristitia *naræ Sedv* quo aperte innuitur, Deum esse causam huius contritionis efficientem. tristitia enim *naræ Sedv* idem est ac tristitia, qualem Deus efficit, seu, quæ fit secundum Dei operationem. Hinc, etiam Lutherus vertit: *Die Göttliche Traurigkeit*. Sic quoque innuit *naræ* causam efficientem Col. I, 11. 29. Eph. I. 19. coll. v. 20. III. 7. *Conf. Gundisius in Contrit. Isag. Loc. Theol. Gerhard. Diss. II. de Pœnit. c. II. §. 6. pag. 278. Tristitia, dicit, secundum Deum est, quam Deum efficit in homine &c.* De Spiritu S. quod illi competat imprimis contritionis operatio, testatur locus Joh. XVI. 8. 9. Hæc si non apud omnes essent notissima, ulteriori testimonio possent demonstrari,

§. XI.

Stante hac quidem veritate; nihil ominus tamen multi dantur, qui eam falsa de propriis viribus naturalibus opinione, labefactare student. Huc in specie pertinent illi, qui dicunt; *Liberum arbitrium minime esse extinctum, viribus licet attenuatum & inclinatum* (Concil. Trid. Sess. VI. cap. X) simulque anathemate imprudenter afficiunt eos, qui statuant: *hominem se mere passivæ, in opere conversionis habere,* (ibid. pag. 65. Edit. Hal.) Quod vero hoc repugnet doctrinæ de naturali nostra *adventuæ*, testantur *Presidis nota in hunc*

hunc locum ibid. Contradicunt etiam hac ratione Tridentini expressis Scripturæ verbis in §. antecedente adductis. Quamuis homini non omnis quidem cooperatio post conversionem possit denegari; nulla tamen ratione propriis eius viribus aliquid adscribendum statuimus. Quare hanc rem Libri quoque Symb. in specie Form. Concord. docuerunt bene, & errorem contrafentientium probe reiecerunt. e. g. Pag. 661. *Homo, dicit, horrendam Dei iram aduersus peccatum, & ex ea consequentem mortem neque videt, neque agnoscit, sed strenue in carnali sua securitate (etiam sciens volensque) pergit, nulla doctrina, nulle conciones apud eum locum habent, antequam per Spiritum S. illuminatur, conuertitur, regeneratur & trahitur.* irem pag. 662. *Antequam autem homo per Spiritum S. illuminatur, conuertitur, regeneratur & trahitur, EX SE SE ET PROPRIIS VIRIBUS SUIS NATURALIBUS in rebus spiritualibus & ad conuersionem aut regenerationem suam NIHIL INCHOARE, OPERARI AUT COOPERARI POTEST.* Item, pag: 663, ex Phil: II. 13. *Operatur enim Dominus in nobis utrumque & velle & perficere, dat PŒNITENTIAM, operatur fidem &c.* Hic iterum non tantummodo de Pontificiorum errore in doctrina dictum sit, sed etiam de multis, qui Evangelicil sed falso, dicuntur. Illi enim peccant in praxi contra hanc veritatem, dum, vel de hac salutari ratione non sunt solliciti; sed contenti aliquali modo cordis terrore; vel malitiose suam pœnitentiam differunt, & sic de hac contritione, tanquam de re levi sentiunt, putantes, se semper, quando velint, dicere posse: *meine Sünde sind mir leid* / vel cum publicano, de quo his diebus audiuimus: *Deus esto mihi peccatori propitius!* Nos potius sequamur Davidem simul cum eo preçantes ex Psalm, LI. 12. *Crea in me Deus cor nauum!* &c.

Causam quoque instrumentalem, quam hic præ ceteris considerare necessum erit ex data definitione cognoscere licet, quod scilicet ea sit verbum Dei, tum legis, tum Evangelii late sit dicti. Nam Deus sine verbo non solet ejusmodi in homine efficere operationes. Hic adhibet legem ad percutiendum, alibi Evangelium ad sanandum ac erigendum Jer: XXIII. 29. Hebr. IV. 12. 2. Cor. III. 6. Psalm. CXIX. 50. 92. 93. 103. 116. 120. 130. 161. 162. Jer: XV 16. Rom: I. 16. Quia vero agnitio peccatorum contritionem antecedit Jer. III. 13. XIV. 20. Psal. LI. 5. & verbum Dei eam prius operatur, quam confertur; Rom, III. 20. VII, 7. ideo necesse erit, ut probe consideremus: *quod, & quomodo* utriusque verbi ministerium concurrat ad hanc peccatorum agnitionem; quo deinde unusquisque hanc verbi efficaciam apud semetipsum explorare possit, num unquam eam senserit, tanquam vere agens potentiam?

§. XIII.

Lex multipliciter considerari solet apud theologos; cognosceret vero unusquisque, quod hoc loco sermo tantum sit *de lege morali*. Hanc homo naturaliter quidem quodammodo cognoscit, ut exinde etiam quædam agnoscat peccata Rom: I, 32. II, 15. Quemadmodum vero cognitio naturalis legem non sufficienter aut spiritualiter tradit, ita quoque e x lege, naturaliter cognita, non vera datur peccatorum agnitio. vid. Rev. D. Breithaupt. in Thesibus doctr: lib. I, cap. 1. Th. III. quæst. 3. pag. 4. It: Summe Rev. D. Spenerus in doctrina Fidei Evangelica pag. 979. verba ipsius sunt: *Es ist aber zu mercken / daß auch zu dem Gesetze gehören die Bewegungen des Gewissens / bey denen noch nicht Wiedergeborenen / die aus dem / in die Herzen geschriebenen Gesetze herkommen* Rom. II, 15. Die Gedancken

ken/ die sich unter einander verklagen oder entschuldigen/
 dadurch klopfte Gott bereits an den Herzen an/ die
 Buße zu befördern &c. Lumine itaque gratiæ supernatu-
 rali opus est, ad quod accendendum lex reuelata diuinitus
 constituta est, per quam agnitio peccatorum apud hominem
 potest existere Rom. III, 20. Neque tamen hæc, ex sola le-
 ge, peccatorum agnitio, ad salutarem sufficit contritionem:
 quia agnitio ea non vere salutaris & spiritualis est: sed ad-
 huc litteralis tantum dicitur. Nam solus Moyses veram &
 spiritualement peccatorum agnitionem extorquere non potest,
 neque homo agnoscit sufficienter ex sola lege prauos (quos
 tamen sine dubio salutariter contritus agnoscere debet)
 affectus seu internas cordis operationes. Et quamvis lex
 diuina sit spiritualis; Rom. VII, 14. vires tamen peccata ve-
 re agnoscendi, propter statum hominis post lapsum, dare
 non valet: quippe cum ita per carnem infirmetur, ut *ῥὸ ἀ-
 δύνατον* ipsi semper ad sit, quasi indissolubiler, Rom. VIII,
 3. Propterea quoque homini velamen Moysis manet obdu-
 ctum Cor. III, 14. 15. & solam audientibus vel legentibus
 legem mentes naturali torpore & velamine occalescunt,
 ut peccata non vere agnoscant; nec videant legem esse spi-
 ritualement & exigere a nobis res longe maximas, *vid. de his
 omnibus Inst. Cred. lib. III. cap. I. §. V, p. 252. Lib. Symb. pag.
 84. 85. 393.* Nullo autem modo aliquis putet, velim, ac si
 legis ministerium hæc ratione non sit efficax, & per conse-
 quens non necessarium; sed unusquisque potius sciat, quod
 legis doctrina, Evangelii lumine illustrata ac declarata (u-
 ti statim videbimus) peccatorum atrocitatem demonstret,
 conscientias terreat & accuset, ira, ut tanquam malleus con-
 terat hominum corda, magis magisque augendo iræ diuini
 agnitionem. Rom. IV, 15. V, 20. conf: Form. Conc.
 pag. 593.

* (20) *

§. XIV.

Quod autem & quomodo Evangelii quoque ministerium ad agnitionem peccatorum & contritionem salutarem concurrat, præ ceteris inculcandum & unicuique obseruandum arbitror. Certum est, quod Euangelium sua, quam habet, claritate 2. Cor. III, 8. & II. legis doctrinam magis illustret vereque demonstrat, quænam sit ipsius legis *spiritualitas*, vt hac ratione homo agnitionem peccatorum consequatur, vere spiritualem, & deinde magis magisque doleat de peccatis atque cor suum legis malleo penitus contritum sentire possit. Testimonium hujus, ex Matth. V. capite patet luculentissimum, ubi Christus ipse sibi sumit legem spiritualiter explicandam, & ostendit, quod hoc modo ira Dei de cælo sit reuelanda super omnes peccatores Rom. I, 18. it. Form. Conc. pag. 503. 711. in fin. Hac de re Cundisus quoque eleganter scribit. *Inter eosdem* (Gerhardi scilicet obseruationes) *tamen eminet hæc, quod ad intima legis absque luce Evangelii penetrare nobis impossibile sit. Quis enim sciret, quam perfectam impletionem lex requireret, nisi, quam perfecte illam nostro loco Christus impleverit, Evangelium doceret? quis Evangelio remoto, incredulitatis voraginem exhorresceret ac malum hoc ingens paulo plenius intelligeret? quis citra diuinitus accensam Evangelii faciem de pœnitentia SALUTARI quicquam acciperet?* Disput. IV. de Evangel. cap. I §. 10. in Conting. Ifag. p. 237. Sic videmus per Evangelium sublimius explicari legem; sic homo adducitur, velo Mosis sensum sensumque cedente, per hosce Evangelii radios, ad ipsam usque incredulitatis atrocitatem, quæ radix est & fons omnium peccatorum, intime agnoscendam. Joh. XVI, 8. Agnoscit ibi homo amorem sui ipsius in rebus quibuscunque, in ipsis etiam objectis spiritualibus, foedisimum, cuius inordinatum impetum sequi in istis ante hac forte habuit pro re

pro re minus illicita; agnoscit intimam suam de vero Deo ignorantiam, fiduciamque seu spem, quam alias in carnali sapientia Rom. VIII. 7. ceterisque rebus collocavit, vanissimam. Hæc est intima facultatum animæ nostræ corruptio, quam sine Evangelio nemo valet vere cognoscere. *Conf. etiam atque etiam Rev. D. Breithauptii Inst. Cred. lib. II, c. III. §. 3. p. 194. 195. 196. it. Apol. A. C. pag. 82. 85.* Er quia hæc omnia ad doctrinam de illuminatione pertinent, melius lectori consuli posse non videtur, quam, ut pia meditatione ea perpendat, quæ hac de re in Instir. Cred. extant præclarissima.

§. XV.

Maxime huc spectat *Domini nostri Jesu Christi* passio, quam ad Evangelium pertinere nemo negabit. Quis igitur non agnoscit, *Christum* crucifixum esse speculum verissimum, in quo peccata vere, ut peccata, appareant? in facie certe Jesu Christi, patientis etiam, gloriam Dei i. e. Iustitiam, & exinde fluentem iram iustissimam contra omne peccatum agnoscere possumus. 2 Cor. IV, 5. 6. conf. Esaiæ LIII, 5. 6. XLIII, 24. Zach. XII, 10. XIII, 7. 1. Hof. VI. 2. sqq. V, 15. III, 5. Jer. XXX, 17. 21. XXXI, 9. 19. 22. 34. Mich. IV, 5. 9. sq. V, 2. 3. 1. Petr. II, 2. Gal. IV, 4. 5. Rom. IV. 23. VIII, 32. Ur hoc modo augeatur peccatorum nostrorum agnitio. (vid. B. Arndtius lib. I. cap. VIII. in Ver. Christ.) Quid in horto cruciatibus infernalibus Christi affecit animam? Matth. XXVI, 37. 38. Peccata certe nostra, ex facultatum animæ nostræ defectu, pravaq; concupiscentia. Quidnam accendit intolerabiles iræ diuinæ, quas Christus sensit, flammæ? quid animam ipsius omni priuavit quiete? quid fecit eum de derelictione paterna in cruce querentem? quid ipsi conciliauit mortem? Resp. Fecit hæc omnia incredulitas; ad quam præcipue ipsius Christi humanitas tentata fuit a Diabolo. Hæc enim *invidia* tanquam fons peccatorum omnium, Dei exardet.

ardescere facit iram, eamque reddit vehementissimam **Ps.** LXXVIII, 23. 24. Hæc parit omnem conturbationem, ut impius nullam unquam animæ quietem seu pacem sentire possit; **Esaia** XLVIII, 22. conf. **Hebr.** III, 11. 18. 19. c. IV. totum. quæ tamen requies & pax fide in **Jesum Christum** impetrantur. **Matth.** XI, 29. **Rom.** V, 1. Hæc a Deo abducit, ut incredulus relinquat Deum, & a Deo quoque relinquatur. **Jer.** II, 19. XVII, 13. ut ipse hac ratione sit sine Deo hoc in mundo. **Eph.** II, 12. ad Diabolum pertineat & ipse sit instrumentum, v. 2. Hac in incredulitate consistit mors **Eph.** II, 5. uti contra in fide homo vitam consequitur spiritualemente atque æternam **ibid.** & **Gal.** II, 20. **Eph.** IV, 18. **Joh.** II, 16. & V, 24. VI, 40. Quid **Christi** ipse contristavit & impugnavit intellectum? quid caput ipsius sanctissimum affecit opprobrio? **Resp.** Nostri demerita seu ignorantia **Eph.** IV, 18. V, 8. 1 **Pet.** I, 14. & sapientia secularis, quæ coram Deo stultitia est **1 Cor.** I, 20. Quid **Christi** angoribus affecit voluntatem. **Resp.** Nostri cordis obduratio **Eph.** IV, 18. prauæ ipsius inclinationes & concupiscentiæ v. 22. 1 **Pet.** I, 14. Quid **Christum** ad summam omnium rerum adigebat abnegationem? **Resp.** Amor sui ipsius, quo homo se implicatum sentire debet eumque fugere. **Matth.** X, 37. 38. 39. **Luc.** XIV, 33. **Joh.** XII, 25. 26. Hæc certe deploranda peccatorum multitudo est, & quidem vel eorum tantum, quæ ad læsionem primi præcepti spectare videntur. Quem non eorum numerum putas futurum, si omnia decalogi præcepta hac ratione perlustrantur? Sic peccatores per **Euangelii** ralem usum & splendorem, ad legem remisit, & proprius ad eam adducti, vere peccata sua agnoscere debent. Aliorum mediorem, quæ ad agnitionem peccatorum pædagogice ducunt, ob studium breuitatis mentio fieri non potest; quamuis ea alias non sine omni utilitate hic adduci potuissent.

§. XVI.

His visis, quod ex lege, & Euangelio, legem illustrante, fluat Spiritualis peccatorum agnitio, concludere nunc quoque facile possumus, utriusque verbi ministerium conjunctim efficere contritionem: nam ex agnitione peccatorum oritur contritio. Rem vero si accurate consideramus, ea, quæ dicta sunt paulo adhuc generalius dicta esse, certum est, ut etiam necessarium videatur, distinctius considerari contritionem, & quidem, *quatenus salutaris dicitur* simulque demonstrari, quodnam imprimis verbum, ut talis ea sit, efficiat? Hoc facientes observabimus Euangelium imprimis id efficere. Multum quidem lex etiam, ut vidimus, ad eam confert, sed eatenus tantum, quatenus dicitur contritio, seu initium contritionis salutaris; id vero *salutare seu complementum* contritionis ipsi minime est adscribendum. Si enim lex non dat agnitionem peccatorum vere salutarem & spiritualem, multo minus dabit salutarem contritionem. Homo quidem, agnitis ex lege peccatis, maledictionem legis gravissimam sentiens Deut. XXVII, 26. Jer. XI, 3. iramque Dei adversus omne peccatum vehementissimam, Rom. IV. 15. Exod. XX, 5. Psalm: V, 5. 6. non potest non malleo quasi hoc conteri. Jer. XXIII, 29. eoque gladio ancipiti sauciari. Verum hæc non est salutaris contritio; quia ex sola lege est, & stricte dicta lex tantummodo iram operatur & mortem. Rom IV, 15. VI, 10. II. 2. Cor. III, 6. nullasque dat vires proprie salutares Gal. III, 21. quodammodo ad contritionem pertinent, si salutaris & completa esse debet, Evangelii itaque doctrina accedat necesse est, ut contritionem augeat purificetque eam. Zach. XII, 10. Ioh. XVI, 8. XX. 28. 23. Hoc facit peccatorum agnitionem & contritionem vere salutarem, tum proponendo Christum passum & iudicem futurum &c. Rom. II, 16. Act. XVII, 50. 31. X, 42. III, 15. 19. 20. II, 23.

ll, 23. 36. sq. IX, 4. 5. tum subministrando vires salutare,
 quæ ex eo sunt & hauriuntur. Rom. I, 16. Gal. III, 2. 5. Ja-
 cob, I, 21. conf. Rev. D. Breithauptii Inst. Cred. Lib. III,
 cap. I, §. VIII, p. 306. 507. It. §. IV, ibid. p. 248. citata Luthe-
 ri verba ex comment. Epist. ad Gal. quæ hæc sunt. *Lex*
semper terret & accusat, dicens, tu nunquam fecisti omnia,
quæ in lege mandata sunt, maledictus autem, qui non fe-
cerit &c. ideo manent isti pavores & subinde augentur-- Ita
lex nihil aliud potest efficere, quam nos nudos & reos constitu-
ere, ibi tum nullum est consilium aut auxilium, sed omnia de-
plorata sunt. Optime quoque loquuntur Artic. Smal. p. 320.
Quando autem (lex) hoc officium suum sola exercet SINE E-
UANGELIO, nihil aliud, nisi mors & infernus hominem oppri-
ment prorsus desperantem, ut Saulum & Judam sicut Paulus
testatur, legem per peccatum hominem morti tradere. It. Idem
Lutherus Tom. I. Jen. Lat. fol. 269. Concedo ergo, dicit, quod
lex, recordatio peccatorum, intuitus panarum, possunt terrere
peccatorem, SED NON FACIUNT POENITENTEM. Neque
hic omittere possum, quæ laudandus D. Spenerus de eadem
re habet verissima, Doctrin. Fidei Euangel. pag. 800. In dem
göttlichen Worte hat beydes Gesetze v. Evangelium
sein Werk beyder Buße. Aus dem Gesetze soll eigent-
lich die Erkenntnis der Sünden kommen/ sodenn der An-
fang der Reue gewürcket und der Mensch durch gött-
lichen Zorn über die Sünde erschrocket werden. Was a-
ber das Evangelium anlanget--- hat es so viel dabey zu-
thun/ daß nicht nur der Glaube/ welcher das Haupt-
Stück der Buße ist/ allein/ durch dasselbe im Gegensatz
gegen das Gesetze gewürcket wird; sondern der Mensch
muß auch durch das Evangelium den Heil. Geist und
also die Kräfte der Buße erlangen/ so denn die Reue
durch das Evangelium also temperirt werden/ daß
 eo

* (25) *
es eine heylsamen Reue sey. item völl. Abfert. Schelw-
gii p. 322.

§. XVII.

Nulla tamen modo ex his sequitur Euangelium esse formaliter concionem potentiae, neque duo haec Doctrinarum genera, sic loquitur Rev. D. Breithaupt, *lex & Euangelium confunduntur, sed coniunguntur modo, & ambo urgentur certo ordine & conuenienti discrimine obseruato.* Inst. Cred. p. 254. Et quamuis multi probare id conati fuerint, quod scilicet Euangelium sit concio pœnitentiæ: nos tamen negare possumus: Euangelium enim non *per se* operatur, ut contritio sit effectus eius proprius; sed operatur tantummodo eam *per accidens*, & sic contritio est effectus eius accidentarius: qua propter etiam Euangelium late dicitur. Quando vero sic dicitur stricte, statuimus, quod sit doctrina, plena consolationis Pf. CXIX. v. 32. 92. de misericordia Dei & gratuita remissione peccatorum per & propter Christum Tit. III, 4. 5. 6. 7. Act. X, 43. XIII, 38. Quæ omnia optime declarata vid. in Form. Conc. pag. 593. Verba quædam ipsius sunt. *Credimus, docemus & confitemur, quod Euangelium (stricte sic dictum intelligunt) non sit concio pœnitentiæ, arguens peccata: sed, quod proprie nihil aliud sit, quam latissimum quoddam nummum & concio plena consolationis, non arguens aut terrens: quandoquidem conscientias contra terrores legis solatur &c.* Conf. B. Schomerus ad Rom. p. 5. II. 13. 15. 25. 33. D. I. M. Laneii instit. Past. p. 39. 49. sq. 44. 258. sq. 363. sq. 370. I. Musæi ausführl. Erklär. p. 431. 432. 430.

§. XVIII.

Nunc progredimur ad causam seu rationem contritionis salutaris formalem, considerantes, quanam ea sit, aut in quonam contritio salutaris consistat. Hoc, ut paucis, distinge & perspicue proponatur sine dubio viribus eis, quas ego

D

maçtus

nactus sum, maiores hic requiri, vnusquisque fatebitur: multa enim, tum ob diuersum verbi diuini, tanquam causæ efficientis, effectum, in contritione hac saluari concurrere, omnibus, qui eam experti sunt, erit notissimum; ut ideo quoque uno verbo *causam formalem* exprimere foret impossibile: pro viribus tamen id demonstrabo. Ne autem multis mens obruatur, neque aliquid, quod hic cogniti necessarium est, omittatur, duo ponam, quibus cetera forte omnia simul poterunt includi. Dico ergo, quod *ratio formalis* contritionis salutaris consistat *in timore ac pudore acerbissimo*. Tremor ex lege, pudor ex actu reflexo Euangelii, late sic dicti. *Hanc causam formalem* probat scriptura & experientia, quare id demonstrare, quantum fieri poterit, annitar.

§. XIX.

Quando homo legis fulmine tactus peccatorum suorum magnitudinem & multitudinem agnoscit Psal. XXXVIII, 3. *intremore* sub lege incipit versari v. II. Psal. VI. 3. 4. Rom. VI, 14. VII, 1. 2. &c. sentiens ignita iræ diuinæ tela Psal. XXXVIII, 3. & Deum ipsum, propter legem ipsius læsam, tanquam ingnem confumentem Deut. IV, 24. Hebr. XII, 29. ita, ut quasi trepidus seruus, iram Domini sui pœnamque imminentem metuens, captiuus teneatur Rom. VIII, 15. 2. Tim. I, 7. Hebr. II, 15. & propter cordis dolorem vehementissimum nesciat, quid faciendum; Psal. XXXVIII, 9. 10. Act. II, 37. XVI, 30. tunc aliquid adest *de formalis* contritionis salutaris *causa se ratione*. Quid vero id aliud est, *quam tremor penitentialis*? quomodo hæc melius comprehendere possem, quam si dicerem hoc esse tremorem: tremor enim hic pœnientialis innuit hominis conditionem sub lege, seu horrorem ex magnitudine & multitudine peccatorum; innuit metum iræ diuinæ atque pœnæ, tum temporalis, tum æternæ; nec non dolorem,

rem, quem ejusmodi peccator sentire solet grauisimum. Lutherus in Art. Smalc, istius doloris tristitia adiuncta & antecedentia hoc modo exprimit: *Hac ratione perterrescit homo, humiliatur, prosternitur, desperat de se ipso, & anxie desiderat auxilium, nescit, quo fugiat, incipit irasci Deo, & obmurmurare præ impatientia* p. 319. Est vero hoc nunc ingens Spiritus Sancti beneficium, dicit hac de re Reu. D. Breithaupt, quod miseria nostræ se accommodans legis ministerio primum auocet animum a turpissima & exitiâ seruitute ista (intelligit ubi homo seruit peccato) spiritumque seruitutis in corda humana præmittat (eis Φόβον) affectum metus a diabolo ad Deum traducens &c. *Inß. Cred. Lib. III, cap. 1. §. III, 226.* Egregie etiam hanc rem exposuit *Ven. Præses in Disput. de Harmonia Fidei §. II.* quæ si non esset in omnium, ut scio, manibus, non intermississem, ad verbum quoque ea, quæ ibi habentur, apponere.

§. XX.

Imprimis autem ratio formalis contritionis, quatenus salutaris dicitur, dici potest pudor Dan. IX, 7. 8. Jer. XXXI, 19. qui, postquam homo ex Evangelio agnoscere incepit, & legis spiritualitatem, & singularem Dei erga se commiserationem, clementiam, longanimitatem, benignitatem, bonitatem &c. fieri solet intimus atque tenerrimus, uti in peccatrice Luc. VII, p. 38. 39. & seq. it. in publicano. cap. XVIII, 12. in filio, qui perditus erat cap. XV. 19. Nam si certum verbum ex Evangelio audiatur, hic pudor conjunctus est cum quodam spei radiolo, & tremulo gratiæ desiderio, sub metu iam aliquali filiali in ineffabili gemitu atque dolore. vid. *Rev. Præsidis Disp. citat. §. V.* Hæc ratio requiritur, quando contritio dicenda est salutaris: & quamvis hac in contritione diversi dentur gradus, & secundum eos vera ipsius ratio judicari non debeat; uti §. III. jamdum dixi, plane

plane tamen ea abesse non debet: in his enim terroribus, spe aliqua veniæ & tremulo desiderio permixtis atque temperatis (vno verbo: in hoc pudore tenerrimo) fit conceptio fidei, ut fides suum capiat initium, quæ ἀρχὴ πίστεως postea simili ratione continuari Heb. III. 14. & magis magisque crescere debet Apol. A C. p. 86. Alias tantummodo tristitia sed contritio est ex metu iræ divinæ atque pœnarum nullaque vera in spiritu hominis existit mortificatio carnis Gal. V. 24. nec corpus peccati cum membris, vitiosis scilicet affectibus, aboleri incipit: Rom. VI. 6. Col. III. 5. quia absente hac ratione non vera adest communio crucis Christi ipsiusque mortis Rom. VI. 7. 8. Contra vero, quando homo, non tam propter pœnas imminentes; sed propter læsam Dei benignitatem atque misericordiam, cruciatus cordis sentit, & animadvertens simul illud connexum desiderium, solatio per mixtum, eo acrioribus pudore & pœnitentiæ plenis conficitur doloribus, tunc vera fit veteris hominis mortificatio, & dici potest, quod contritio adsit vere salutaris. Luc. XXIV, 47. Act. III. 26. 19. Consentit hic *Lutherus*, qui hanc contritionem, magis ex amore, quam odio putat producendam Tom. I. Jen, Lat. fol. 134 *Hec, dicens, est verissima contritio, viva & efficax, ubi illa detimore inferni & peccati turpitudine, est literalis, ficta & breui durans, qui non RADICATA AMORE, sed incusatimore tantum* De ratione hujus contritionis optime quoque *Arndtius* Lib. III. cap. VII. scribit. Darüber solte man trauren/ v. daß ist die rechte wahre Reue / Leid darüber haben / so man gethan / was Gott zu wieder ist / so man Gott nicht allen Creaturen vorgezogen / so man Gottes Ehre nicht in allen Dingen gesucht / ihn nicht über alles geliebet; sondern die Creaturen und sich selbst- darum wenn du Reu v. Leid hast um deinen eigenen Schaden/ v. nicht viel-

vielmehr / daß du wieder **GOTT** gethan v. ihn erzür-
 net und entehret hast / so hastu noch keine wahre Reue
 It. Lib. II. c. x. Varen. P. 2. pro *Arndtio* p. 219. 233 - 237. 260.
 sq. 239. 236. 201. 206. 210. seq. P. I. p. 237. 280. summe Rev. D.
 Spenerus in Doctr. Fid. Euang. p. 982. sic exprimit rationem
 salutaris contritionis: Wie denn dieses vornemlich zubeo-
 bachten ist / wann die Reue rechter Art ist / daß uns als-
 denn unsere Sünde leidthue nicht so wohl deswegen /
 weil wir damit Gottes Gnade und die Seeligkeit rechts
 wegen verscherzet hätten. - sondern weil wir uns an
 unsern Himmlischen Vater versündigt und mit
 Ungehorsam ihn undankbarlich beleydiget -- daß
 diese Traurigkeit nicht mehr aus der Eigen Liebe her-
 kommet / als die sich nur über dasselbe betrübet / wo-
 rinnen uns übel geschiehet; sondern sie entstehet aus
 einer Liebe gegen **GOTT** / die also schon in einer sol-
 chen Seele samt den Glauben seyn muß / daher sich ein
 solcher Bußfertiger seine Sünde nichts destoweniger
 läßt Leid seyn / ob er schon weiß daß sie ihm vergeben
 sind / ja er würde sich über dieselbe betrüben / wo auch kei-
 ne Straffe und Hölle wäre. Quæ verba magis quidem
 respiciunt statum hominis post conversionem, non tamen
 tantum, sed ad eum quoque qui ante conuersionem est,
 videntur accomodari posse. Ezech. XVI, 63. XXVI, 32. XLIII,
 10. 11. Luc. V, 8. 32. VII, 47. Joh. XX, 38. Videantur concio-
 nes eiusdem, *Arndtii* occasione habitæ, P. I. p. 56. P. 2. p. 89.
 D. Treuneri Primitiæ Augustanæ; ex professo. 241.

S. XXI.

Huc quoque pertinet dictum 2. Cor. VII. 10, quo non
 obscure significatur hæc formalis ratio, dum enim ibi dici-
 tur de tristitia aliqua, quæ est *secundum Deum*, norma qua-
 si simul denotatur, secundum quam vere salutaris tristitia

seu contritio fiat, & quænam per consequens sit formalis ratio hujus tristitiæ. Quod autem præposito *ναρά* id denotet, probant multa loca in scriptura sacra, confer (post disquisitiones ven. Præsidis *de vera & falsa doctrina*, p. 18.) locum Rom. XV. 5. ubi *ναρά τὸν χριστὸν* ponitur, eadem ratione, it. Col. III. 10. E. h. II. 2. IV. 24. 22. 2 Tim. IV. 1. 2. Cor. X. 13. &c. Deus iustus est, tum quoad essentiam, tum quoad voluntatem, quæ continetur in lege ab ipso data, uti Exod. XX. Deut. IV. V. VI. Ps. V. 5. CXLV. 17. videndum. Hanc ergo iustitiam &c. exinde fluentem iram adversus omne peccatum homo peccator agnosceus non potest non *tremore & horrore* affici: lex enim terret: agnita vero Dei etiam benignitate essentiali, misericordia, bonitate &c. ut & benigna eius voluntate, ex *Evangelio*, pudor teneamus, spe veniæ & flammula fidei permixtus atque temperatus oritur, qui tristitiam hanc *secundum Deum* perficere seu comple- re solet. *χαῖς παραβολας* appellatur a Clemente Romano I. ep. ad Corinth. Act. XVII. 30. 31. XXVI. 18. Sir. XVII. 17. sq. gr. *gratia contritionis* a Luthero T. I. Jen. L. f. 109.

§. XXII.

De *causa finali*, quid certi alii statuam, me nescire fateor: puro tamen me non errare, si statuam, quod finis contritionis hujus sit, *convictio* de veritate fidei, poenitentia & gratia ulterius insecutura, ut aliquis concludere possit, se in fide, quæ hac in contritione nascitur, tale subjectum esse, cui gratia Dei vere possit annunciari, nulloque modo denegari. Nam, quia in Scriptura S. nemini, nisi vere poenitentibus, contritis, humilibus, esurientibus & sitientibus iustitiam, gratia Dei promittitur; Matt. V. 6. XI. 28. Esaiæ LVII. 15. LXVI. 2. ideo talis contritus hanc consequentiam de se facere poterit facillime. Hopfn. de justif. p. 738. sq. Tr. 2. de S. cœna p. 189. Tr. p. 310. Danh. hodosoph. II. p. 1257. *conf.*

*conf. ca, quæ ex Cbemnit. citata sunt in inst. Cred. Rev. D. Brett-
 hauptii pag. 335. 336. item in conc. ad 2. Corinth. p. 55. sq. 97. sq.
 I. C. Kesleri Rettung p. 20. 39. 42. 72. 86. ad itinerarium
 Scheleroigianum p. 45. sq. 52. Freylinghausen Entdeckung d.
 f. Th. p. 120. sq. 135. 165. 201. 250. sq. 160. Zieroldi Theologia E-
 uangelica p. 156. 240. 278. Seidelii Lutherus redituius p. 337. sq.
 Et quamvis circa præbendam de veritate *pœnitentiæ* conui-
 ctionem non plane excludatur fides, hanc tamen contriti-
 onem prius, quam fidem ipsam in proprio suo officio con-
 stitutam, eo facere, nemo negabit: quia veritas ipsius fidei
 dignoscendæ hac in contritione maxime fundari solet, &
 sine ea falsa & vana tantum est mentis persuasio: Duo igitur
 hæc, contritio scilicet & fides, in vera pœnitentiâ non lon-
 go tam interuallo sese inuicem sequuntur: sed ubi contritio
ad acumen quasi venit, & cor in amore spem veniæ, tremu-
 lumque gratiæ desiderium, vti antea dictum, sentit, propter
 quod contritio imprimis dicitur salutaris, ibi semen illud,
 vt sic dicam, iam adest, ex quo statim fides propullulare
 magis magisque incipit, & fideliter applicatis Euangelii
 promissionibus maius capit incrementum: testatur aliquo
 modo de hoc contritionis sine Locus Matth. XXI. 32. 98.
 & μεταμελήθητε ὑπερὸν, τῆ πιστεύου ἀντῶ. Quo etiam in Ita-
 tu simul observatur discrimen legis & Euangelii. *conf. Præsi-
 dis disp. de Harmonia fidei §. VI-XIII. XXXIV. & de vera
 ac falsa doctrina p. 25.--42.**

§. XXIII.

*Effectus veri, seu potius consequentiæ contritionis hu-
 ius, nullibi nobis clarius demonstrantur, quam in sæpe citato
 loco 2 Cor. VII. 11. vbi eorum septem ab Apostolo recitan-
 tur, quæ apud Corinthios post tristitiam secundum Deum
 fuerunt ita observata, vt sine difficultate arque dubio in
 genere ad omnes vere & salutariter contritos possint appli-
 cari.*

* (32) *

eari. I) est ἡ σπουδή diligentia seu sollicitudo, ubi nunc quis emendationi studet, versans circa omnes res sollicite, & quæ agnoscit infallibiliter bona, magna peragit alacritate. Esaiæ XXXVIII, 15. 16. II) est: ἀπολογία, excusatio seu purgatio, quæ consistit in reputanda obedientia, in accusatione sui, & excusatione Dei, imo in deprecatione & purgatione per sanguinem Christi. Pertinet huc etiam confessio peccatorum I Joh. I. 8. 9. Psal. XXXII, 3. &c. coram hominibus quoque Matth. III. 6. V. 23 Jac. V. 16. & satisfactio civilis & ecclesiastica, privata & publica Matt. V. 24 XVIII. 19. Luc. XIX. 8. 2 Cor. II. 6. Act. XIX, 10. *Hæc sunt ex Instit. Cred. lib. III. cap. I. §. VIII. p. 316.* III) est: ἀγανάκτησις, indignatio, ubi homo sibi peccanti indignatur, & omne peccatum, quamvis uideatur leuissimum, detestatur. Thr. III. 39. 40. Ef. XXVII, 4. 9. XXXVIII, 15. Sir. XXXIV, 12. 14. Hoc est illud odium sui salutare, fastidium & pudor, tum de vita ante acta, tum præsentis ad huc peccatis maculata IV) est: φόβος, timor sanctus Psal: CXIX. 120. 121. Phil. II. 12. humilitatem docens, ut magis ac magis gloriatio de propriis viribus in omnibus rebus, imprimis spiritualibus, intereat & homo ex mera gratia & misericordia Christi se se apprehensum sentiat. Phil. III. 12. V.) est: ἐπιπόθησις, desiderium gratiæ diuinæ & fidelitatis in officio, ubi homo continuo gratiæ augmentum anhelat, animo sentiente nullis rebus creatis se posse satiari, & propterea officium suum & actiones in omnibus secundum Dei voluntatem perficere studet. Psal. CXXXIX. 23. 24. VI) est: ζήλος, Zelus ad peccatū summo studio persequendū & nullo modo ipsi concedendū dominium, sed perendum potius & transeundū magis ex morte in vitam Joh: V. 24. Matth: XI. 12. Luc. XVI. 16. VII) est: ἐνδύησις, vindicta, iudicans omni rigore, ne iudicemur, I, Cor. XI. 31 partesque vltionis occupans sub pudore, displicentia sui, similibusque affecti-

fectibus, quos comitatur crucifixio carnis & omnis occasio-
nis peccandi fuga atque exitio schematis mundi Gal. V. 24.
1 Cor. IX. 25. quo sensu *Augustinus* dicit: *pœnitentiã esse*
vindictã punientem &c. *Hæc iterum ex Inst. Cred. loco iam ci-*
tato, & Apol. p. 192 de externis effectibus huius contritionis
multa passim in Scriptura S. & aliis scriptoribus extant,
quales scilicet sint corporis gestus & qualia exercitia vere
contritorum, quæ breuitatis causa hic omittere possum;
commendans tamen imprimis Psal. VI. XXXII. XXXVIII.
It. Instir: Cred. pag. 218, vbi satis hisce de effectibus fit de-
claratio. *Talis tristitia secundam Deum esse debet*; hunc fi-
nem & effectus *τὸ νὰρὰ τὸν Θεὸν* 2 Cor. VII. 10. 11. simul in-
dicat conf. 2 Tim. I. 11. 1 Tim. I. 1. Eph. I. 11. Rom. VIII. 28.

§. XXIV.

Nec necessarium est *de Subiecto* hoc loco multa facere
verba: quippe cum vnicuique pateat, hominem *peccatorem*
id esse, qui hanc contritionem in semet ipso debeat ex pe-
riri. *De statu* tamen ipsius subjecti aliquid ad huc monen-
dum, quod ille scilicet duplex sit, in quo hæc contritio sen-
tiatur; alter ante alter post conversionem. Quando igitur
homo adhuc in statu ante conuersionem est, omnia sicuti
dixi & processum præscripsi, experiatur necesse est, quam-
vis non vno eodemque gradu: post conuersionem vero no-
tandum, quod homo magis ex euangelio, quam ex lege
veram huius contritionis rationem subsequenter sentiat;
non tamen neglecta omni legis efficacia: quia hoc in sta-
tu homo regeneritus flammam amoris diuini intra se se-
nsim sensimque sentit majores, imo interdum ardentissimas,
& hac ratione fides majus capit incrementum atque robur
vt lex extra cœlum manere debeat, *vti B. Lutherus loquitur*.
De vsu autem legis apud renatus, quem habet, verba Form.
Conc. p. 594. sub fin. sunt elegantissima. *Tertia*, dicit, (lex
E data

data est,) *ut homines iam renati, quibus tamen omnibus multum adhuc carnis adhaeret, eam ipsam ob causam, certam aliquam REGULAM habeant, ad quam totam suam vitam formare possint & debeant &c.* It pag. 591. *Etsi enim renati & spiritu mentis suae renovati sunt; tamen regeneratio illa & renovatio in hac vita in omnibus non est absoluta--opus est, ut homini lex Dei semper praeceat, ne vetus Adam pro suo ingenio agat; sed potius contra suam voluntatem, non modo ad monitionibus & minis legis, verum etiam poenae & plagis coerceatur, ut spiritui obsequatur, seque ipsi captivum tradat.*

§. XXV.

Quod ad tempus, tanquam *adjunctum* attinet, simul ex his videmus, quod haec contritio omni tempore apud hominem esse debeat, ut, quemadmodum tota nostra vita bene dicitur poenitentia, ita quoque bene dicatur, quod haec contritio salutaris illi poenitentiae adsit omni tempore.

§. XXVI.

Haec sunt ea, quae hac vice *de contritione salutaris* proponere volui. Vnusquisque, tum ex fine, tum etiam effectibus seu consequentibus & aliis, quae dicta sunt, facile concludere poterit, hanc contritionem non rem esse leuem; sed conditionem seu rationem maxime necessariam, ut etiam impossibile sit, aliquem vere dici christianum, si haec ab ipso fuerit neglecta; multo minus Theologum, qui non expertus si hocce momentum; in poenitentia observatu dignissimum. Nullus itaque theologiae cultor sit, qui hoc ignoret. Quomodo enim alios recte hanc contritionem docebit, cum nihil de ea cognoverit ipse? Me non loqui de naturali aliqua cognitione & litterali scientia ab initio dixi: nam sic etiam alias pessimus, multa de ea di-


* (35) *

dicere quoque valebit. Non debet hæc singulis, vt *Chem-
nitii verbis vtar*, ex otiosis disputationibus, nec ex aliis
exemplis, sed ex seriis propriae pœnitentiae exercitiis no-
tissima esse. Neque putet aliquis, se statim vere ac salu-
tariter contritum esse, si pugnam aliquam, rationem inter
& appetitum sensitivum interdum senserit. Nam hæc pu-
gna multos sæpe fallit, ut sibi persuadeant contritionem
vere salutarem. Multi putant, quando, mutuam aliquam
cogitationum accusationem, vel ex natura quasi, vel ex
reuelato verbo in se experientes, peccatis ex ratione resi-
stere student, in optimo se versari statu: cum tamen nihil
adhuc perceperint de salutari contritionis ratione; sed
tantum pugnam aliqualem cum Gentibus habeant com-
munem. Qua de re Hulfemannus. in sæpe citat. Inst. cred.
adductus: *Neque Gentilium*, inquit, *dolores de commissis*
flagitiis fuerunt CONTRITIONES POENITENTIALES ex sô-
lis natura viribus excitabiles --- adeoque agnita illa turpido
flagitiorum ab Ethnicis dolorque exinde conceptus, non est spe-
cie eadem agnitio & dolor cum prima parte pœnitentia seu con-
tritione passiva; quam Deus excitat, videlicet in iis, qui Spiri-
tu, siue gratiose ad conversionem mouentur. Nemo quoque
cum habeat animum, vt hanc contritionem studeat plane
præterire, fidemque aliquam sine his doloribus sibi fin-
gere veram, ac si Christi meritum securis & pœnitentiam
fugientibus applicari possit certissimè. *Contrarium vide-*
mus in Scriptura S. uti & in Lib. Symb. pag. 86. 108. 124. Vnus-
quisque potius, præfertim ille, qui theologiam colit, co-
nitaturn maxime, vt viam hanc sequatur strictam & arctis-
simam Matt. VII. 12. quo alias etiam in hanc ducere & a
latiori abducere possit. De agnitione peccatorum suo-
rum spirituali sit sollicitus, & nunquam vilia iudicet, quæ
que


✱ (36) ✱


que patruerit, peccata; neque similis sit, dum peccata agnoscit, expurgisci volentibus, qui tamen, superati soporis altitudine, remerguntur, (*uti Augustinus loquitur*) nihilq; dicunt, nisi tantum verba lenta & somnolenta: malo, (*scilicet surgere,*) ecce modo, sine paululum; sed modo & modo, non habet modum; & sine paululum, in longum ire solet. Epergiscantur itaque omnes & surgant, vt illucescat ipsis Jesus Christus Eph. V. 14; efflagitent a Deo cor vere contritum, sic accipient cum eo simul sanatum & in fide confirmatum, quod & ego ex animo omnibus ac singulis opto & apprecor in nomine Jesu! Amen.











































60
80
60
40
10

250

04 A 65 16

ULB Halle
002 933 25X
3



f
56

Hi. 89.







Q. D. B. V.
CONSIDERATIO THEOLOGICA
CONTRITIO-
NIS SALUTARIS

Quam
SUB PRÆSIDIO
PAULI ANTONII,
S. S. Theol. D. P. P. Ord. Consist. Ducat.
Magdeburg. Consilarii,
PRÆCEPTORIS SUI OMNI OBSERVANTIÆ CULTU
PROSEQVENDI,
Publicæ & placidæ disquisitioni
IN ACADEMIA FRIDERICIANA

diem XXV. August. An. MDCXCIX.

submit A. & R.

CHRISTIANUS JEREMIAS *Siechemann*/
Eisdorff. Magdeburg. iam Past. Woermlic.

Typis CHRISTOPH. ANDRÆ ZEITLERI, Acad. Typogr.
Edit. II. A. MDCCVIII. mense Nou.